

ipsam in generatione communicat. Major probatur, quia  
specificum esse sola forma dat: Minor patet partim experien-  
tia, partim generationis fine. Quæ singula pluribus de-  
ducta videsis apud *B. Sperlingium l. c.*

## Secundum.

### Forma dat esse rei, distingvi & operari.

Nomine *rei* corpus naturale indigitamus. Sicuti enim  
Physicam rerum naturalium scientiam vocant, & hoc modo  
nihil aliud indigitant, quàm illam corporum naturalium sci-  
entiam esse: Ita cum formam rei dare esse dicunt, con-  
stanter corpori naturali largiri esse insinuant. Quod non  
eò acceptandum sensu, ac si omnem essentiam à formâ reci-  
pian corpora. Materia enim non minus corporis ingredi-  
tur essentiam, quàm forma. Neq; hominis nomine digna  
est anima humana post mortem. Sed formale & specificum  
esse innuitur. Forma nempe Corpori Naturali dat esse spe-  
cificum, non esse totum. Dat autem illa non nuda & so-  
la, sed in & cum materiâ, tanquam alterâ essentiali parte.  
Sic speciem humanam dat forma humana, speciem caninam  
forma canina. Porro quale rei esse, tale etiam distingvi est.  
Hinc quo pacto forma dat esse rei, eo etiam dat distingvi.  
Specificam sc. dat distinctionem, sicut specificum dat esse.  
Unde equus à cane specie differt, quia aliud esse specificum  
dat forma equi, alia forma canis. Et hinc in corporum na-  
turalium definitionibus omnes petendæ veniunt differentiæ  
specificæ. Forma enim, quæ esse dat, distingvi etiam dat.  
Cæterum res per formam constituta & à rebus cunctis distincta  
non otiosa, sed negotiosa est. Et ut se habet in esse, ita & in  
operari. Sicut ergo forma dat esse, dat distingvi; ita etiam dat  
operari, ut principium operationum forma sit, ubi tamen iterum  
operationes propriæ & specificæ intelligendæ. Ut quale esse,  
quale distingvi, tale sit etiam operari. Sic forma canis cani dat  
latratum, equi equo hinnitum, suis sui grunnitum &c. Quibus  
de singulis plura videri possunt apud *cit. Autorem.*

Tertium